

Prophetia

FRATRIS HERMANNI

Ordinis Cesterciensis Professi.

1. Nunc tibi cum cura Lehnin! cano fata futura,
2. Quae mihi monstravit Dominus, qui cuncta
creavit;
3. Nam licet insigni velut sol splendeas igni,
4. Et vitam totam nunc degas summe devotam,
5. Abundentque rite tranquillae commoda vitae;
6. Tempus erit tandem, quod te non cernet
eandem,
7. Immo vix ullam, sed, si bene dixero, nullam.
8. Quae te fundavit, gens hacc te semper ama-
vit;
9. Hac pereunte peris, nec mater amabilis eris.
10. Et nunc, absque mora, propinquat flebilis
hora,
11. Qua stirps Othonis, nostrae decus regionis,
12. Magna ruit fato, nullo superstitute nato;
13. Tuncque cadis primum, sed nondum venis ad
imum.
14. Interea diris angetur Marchia miris;

15. Et domus Othonum fiet spelunca leonum,
16. Ac erit extrusus vero de sanguine fusus,
17. Quando perigrini venient ad claustra Chorini;
18. Cerbereos fastus mox tollet Caesaris astus.
19. Sed parum tuto gaudebit Marchia scuto.
20. Regalis rursum leo tendit ad altera cursum,
21. Nec Dominos veros haec terra videbit, et heros.
22. Omnia turbabunt rectores, damnaque dabunt;
23. Nobilitas dives vexabit undique cives,
24. Raptabit clerum nullo discrimine rerum:
25. Et facient isti, quod factum tempore Christi.
26. Corpora multorum vendentur contra decorum.
27. Ne penitus desit tibi qui, mea Marchia, praesit,
28. Ex humili surgis, binis nunc inclyte burgis;
29. Accendisque facem jactando nomine pacem,
30. Dumque lupos necas, ovibus praecordia secas.
31. Dico tibi verum: tua stirps longaeva dierum.
32. Imperiis parvis patriis dominabitur arvis,
33. Donec prostrati fuerint, qui tunc honorati
34. Urbes vastabant, dominos regnare vetabant.
35. Succedens patri tollet privilegia frati,
36. Nec faciet testum non iustum credere iustum.
37. Defesso bellis variis, sortisque procellis,
38. Mox frater sortis succedit tempore mortis,

39. Fortis et ille quidem, sed vir vanissimus idem.
 40. Dum cogitat montem, poterit vix scandere
 pontem;
 41. En acuit enses! Miseri vos, o Lehninenses!
 42. Quid curet fratres, qui vult excindere pa-
 tres?
 43. Alter ab hoc Martem scit ludificare per ar-
 tem:
 44. Auspicium natis hic praebet felicitatis;
 45. Quod dum servatur, ingens fortuna paratur.
 46. Huius erunt nati conformi sorte beati.
 47. Inferet ad tristem patriae tunc foemina pes-
 tem,
 48. Foemina, serpentis tabe contacta recentis,
 49. Hoc et ad undenum durabit stemma vene-
 num.
 50. Et nunc is prodit, quid te, Lehnin! nimis
 odit:
 51. Dividit et culter, atheus, scortator, adulter!
 52. Ecclesiam vastat, bona religiosa subhastat.
 53. Jte, meus populus! protector est tibi nullus,
 54. Hora donec veniet, qua restitutio fiet.
 55. Filius amentis probat instituta parentis;
 56. Insiapiens totus, tamen audit vulgo devotus;
 57. Nec sat severus, hinc dicitur optimus herus.
 58. Huic datur ex genere, qui non, qualis ipse,
 videre,
 59. Et modo funesto vitam loco linquit honesto.
 60. Postulat hinc turbae praeponi natus in urbe,
 61. Spe reliqui sobolem: tenet hic formidine prolem;

62. Quod timet, obscurum: certo tamen ecce! fu-
turum.
63. Forma rerum nova mox fit, patiente Jehova:
64. Mille scatet naevis, cuius duratio brevis;
65. Multa per edictum, sed turbano plura per ic-
tum,
66. Quae tamen in peius mutantur jussibus eius;
67. In melius fato converti posse putato.
68. Post patrem, natus princeps est Marchionatus,
69. Ingenio multos non vivere sinit inultos.
70. Dum nimium credit, miserum pecus lupo edit,
71. Et sequitur servus domini mox fata proter-
vus.
72. Tunc veniant, quibus de burgis nomina tribus,
73. Et crescit latus sub utroque principe status
74. Securitas gentis et fortitudo regentis;
75. Sed nil iuvabit, prudentia quando cubabit.
76. Qui successor erit, patris haud vestigia terit.
77. Orate, fratres, lacrymis nec parcite matres!
78. Fallit in hoc nomen laeti regiminis omen.
79. Nil superest boni, veteres migrate coloni!
80. Et iacet extinctus, foris quassatus et intus.
81. Mox iuvenis fremit, dum magna puerpera
gemit.
82. Sed quis turbatum poterit refingere statum?
83. Vexillum tanget, sed fata crudelia planget:
84. Flantibus hinc austris, vitam vult credere
claustris.
85. Qui sequitur, pravos imitatur pessimus avos,
86. Non robur menti, non adsunt Numina genti.

87. Cuius opem petit, contrarius hic sibi stetit;
 88. Et perit in undis, dum miscet summa profundis.
 89. Natus florebit, quod non sperasset, habebit;
 90. Sed populus tristis flebit temporibus istis,
 91. Nam sortis mirae videntur fata venire,
 92. Et princeps nescit, quod nova potentia crescit.
 93. Tandem sceptrum gerit, qui stemmatis ultimus erit:
 94. Israel infandum scelus audet, morte piandum;
 95. Et pastor gregem recipit, Germania regem.
 96. Marchia, cunctorum penitus oblita malorum,
 97. Ipsa suos audet fovere, nec advena gaudet:
 98. Priscaque Lehneni surgunt, et tecta Chorini,
 99. Et veteri more clerus splendet honore,
 100. Nec lupo nobili plus insidiatur ovili.